

De Senecae epistularum codice Graeciensi.

Scripsit Alois Maček, Dr. phil.

Henrico Schenkeliō praeceptore maxime colendo suasore cum veterum scriptorum codices manuscriptos in bibliotheca universitatis Graeciensis adservatos perlustrarem, si quem cognitu dignum reperirem, in Senecae librum manuscriptum incidi, quem quam accuratissime contuli. Cuius laboris summam non eo consilio, ut sane interdum fit, in medium profero, ut codici a me in lucem protracto pretium grande tribuam; equidem probe scio — id quod in disputationis limine statim adfirmare iuvat — librum Graeciensem ad scriptoris verba recte constituenda nihil plane emolumenti adferre. Nec tamen, etiamsi minime me thesaurum invenisse gloriar, in meros carbones incidisse mihi videor. Etenim aliquot codicis foliis collatis mox intellexi, exemplar Graeciense, etsi non lectionum praestantia commendetur, tamen aliquantum valere ad Annaeanarum epistularum historiam criticam quam vocant illustrandam. Haec autem quaestio tantum abest ut ad finem perducta et absoluta sit — quae ut aliquando absolvatur, summi momenti esse in scriptore per totius medii aevi tempora tam studiose lecto quis est qui neget? —, ut omnis fere adhuc intacta relicta sit. Nam quae Fickert magna opera et cura impensa e libris recentioribus excerpserit, non solum manca sunt et imperfecta, sed etiam parum apte disposita, ut nisi magno cum taedio adhiberi non possit varietas lectionis ab illo adscripta.

Quae cum ita sint, operae pretium me facturum esse spero, si unum ex recentioribus codicibus diligenter excussero deque eius pretio ratione et via anquisivero. Ac primum quidem in libro manuscripto quam accuratissime describendo opera collocanda est.

Codicem, de quo nobis agendum est, nunc in bibliotheca universitatis litterarum Graeciensis adservatum saeculo XIV scriptum esse Antonius E. Schoenbach, librorum manuscriptorum iudex peritissimus, censet. Forma codicis, qui in fronte signum habet II 298, est 28 cm × 19 cm. Folia amplectitur membranacea centum et triginta per quaterniones composita (exceptis foliis 97 et 98 extra quaterniones additis); e quibus primi octo quaterniones numeris I—VIII insigniti sunt, nonus nota numerali vacat, decimus notam IX exhibet; reliqui non numerantur. Singulae foliorum paginae binas continent columnas, quarum in utraque quadragenarii bini versus leguntur praeter sedecim priora folia, ubi in singulis columnis singuli tantum et quadragenarii versiculi collocati sunt. Columnarum spatium a reliqua paginae parte lineis accurate ductis dirimitur, ita ut columnae ipsae inter se 1 cm distineantur, quamquam librarium saepius lineam terminantem excessisse mirum non est, et ab exteriori folii margine 4.5 cm, ab interiori 2.5 cm, ab inferiore 5.7 cm, a superiore 2.3 cm distent. Margines paginarum punctorio perforati sunt, ut aequalibus intervallis lineae duci possint; puncta ista, cum culter glutinatoris eis pepercerit, paucis exceptis adhuc servata sunt. — Folia recta in dextro angulo superiore numeris Arabicis qui vocantur

Maček, De Senecae epistularum codice Graeciensi.

qci/0001 (1309)

insignita sunt. Folia 39 et 40 non recte numeris notata sunt, quod errore librarii factum est, qui mutato ordine ea, quae in folio 39 erant scribenda, in altero folio, quae autem in altero scribenda erant, in folio 39 scripsit. Qui error alia, ut mihi videtur, manu in folio 38^o sub infimo versu dextrae columnae his verbis notatus est: *verte folium lege post tale signum* (sequitur manus humanae forma), in folio 39^o his: *verte folium lege post tale signum* ✱; in folio 40^o verbis: *reolve duo folia. et lege post tale signum* H. Codex tegumentis ligneis vestitur, quae extrinsecus corio compluribus locis iam laeso, intrinsecus maximam partem alba charta inducta sunt; quae ubi avulsa est, infra in ligno tegumenti litterae inversae discernuntur, quae olim saeculo XIII in charta illa alba scriptae, cuius nunc partes parvae adglutinatae exstant, formarum vestigia in ligno reliquerunt, ita ut nunc nisi speculo adhibito legi non possint. Pertinere autem videntur ad pactum aliquod lingua Germanica conceptum.

Liber Graeciensis non totus ab eodem librario scriptus est, sed complures in eo manus adparent, quae non omnes aequae facile legi possunt iam propter atramenti diversitatem, quod modo nigro modo fusco vel subfusco colore est. Praeterea notetur in marginibus partim interpretationes alienas variasque adnotationes partim singulares litteras aut tota vocabula aut enuntiata a scriba primario sive per negligentiam sive alia de causa omissa variis manibus adscripta esse. Multis locis emendationes inter lineas adpictae reperiuntur. Hic vel illic lineae breves, quibus vocabula dirimantur, insertae sunt, praeterea haud paucis locis scriptura primaria scalpello erasa est. Totus liber siglis compendiisque abundat.

Codice Graeciensi haec continentur:

I. (Fol. 1^r—70^o) *Incipiunt Epistole Senecae | ad Lucillum.*

Sunt tredecim priores libri Senecae epistularum sexto omisso. Cuius rei quoniam rationem non habuit, qui epistulas numeris insignivit, et praeterea numerum LX in numerando per errorem omisit, factum est, ut epistula, quae in editione Friderici Haasii (qua in codice conferendo usi sumus) numero LXXXVIII insignita est, in codice numerum LXXIX prae se ferat. Inscriptiones librorum singulorum et epistularum desunt; item undecies vocabulum „Vale“ in fine epistolae omisum est initiumque sequentis epistolae littera tantum initiali et numero appposito significatur. Litterae initiales singularum epistularum usque ad sexagesimam septimam minio exaratae sunt, in reliquis epistulis praeter septuagesimam quartam omnino desunt. Epistularum 9, 12, 44, 45, 50 initiis argumenta paucis verbis expressa minio ita adscripta sunt, ut tribus quattuorve primis epistolae versiculis decurtatis tantum spatii restet, quantum ad illud argumentum adscribendum necessarium est. In ceteris autem epistulis spatium quidem satis magnum vacuum relictum nec tamen argumentum adscriptum est. Et hinc et ex eo, quod, ut supra diximus, magna pars litterarum initialium omissa est, satis apparet librarium ea, quae minio scribere in animo habebat, in aliud tempus distulisse, sed nescio quo casu, quominus opus absolveret, impeditum esse. Epistolae omnes una eademque manu scriptae sunt, sed ductus litterarum, qui initio minutior et aetior est, postea latior fit. Sed de omnibus, quae ad Senecae epistulas pertinent, in alia huius opusculi parte accuratius agam, quoniam hanc codicis partem solam pertractare iam ab initio mihi proposui.

II. (Fol. 70^r—72^o) *Incipit Tractatus Senecae | De Remedijs fortuitorum.*

Quae vocabula ut sequens „L“ littera initialis minio picta sunt. Exaratum est hoc opusculum subfusco atramento a librario alio et, nisi fallor,

aliquot lustris post epistulas descriptas, fortasse ut reliqua quaternionis pars expleretur; uterque tamen tractatus eundem correctorem passus est. Folium 72^o vacuum relictum est. Textus passim discrepat ab eo, quem in Haasii editione legimus. Cf. Haase, vol. III, pag. 446; O. Rossbach, *De Senecae philosophi librorum recensione et emendatione*, Breslauer Philol. Abhandlungen, Bd. II, Heft 3. — Illae vero tractatus partes, quae in Haasii editione voce „additio“ praefixa a reliquis distinguuntur quasque e Petrarcae libro de remediis utriusque fortunae excerptas esse constat, in hoc libro desunt. Cf. quae Haase exposuit in indice lect. Vratislaviensium hiem. a. 1859. Unam tantum lectionem, qua codex Graeciensis cum Salmasiano vetustissimo libro manuscripto consentit, hoc loco commemoraverim, scilicet XIII, 1, ubi Graeciensis cum Salmasiano *fles* exhibet. Cf. Rossbach, pag. 110, qui affirmat in libris saeculo XII recentioribus et apud Hildebertum *defles* exstare vel *deflet*, in vetustioribus verbum simplex. Exemplar igitur illud, quod librarius codicis nostri descripsit, in libris vetustioribus numerandum esse apparet, si quidem Rossbach recte iudicavit.

III. a) (Fol. 73^r) *Incipit prologus in epistula Dindimi philosophi ad Alexandrum. D. Saepius ad aures etc.*

b) (Fol. 73^r) *Incipit epistula dyndymi phylosophi ad alexandrum imperatorem. Desiderantem etc.*

c) (Fol. 75^v) *Allexander ad dindimum. Si hec ita sunt etc.*

d) (ib.) *Dindimus ad Allexandrum. Nos monet Dindimus etc.*

e) (Fol. 76^r) *Allexander ad Dindimum philosophum dicit sic ut p?! Tu nunc ideo etc.*

f) (Fol. 77^r) *Item actus allexandri in India memoria digni. Semper memor etc.*

g) (Fol. 82^v) *Incipiunt gesta phylippi macedonis et ortus Alexandri et gesta eius praeclara. In diebus vite sue super terram etc.*

Pertinent haec (ab eodem librario atque Senecae epistulae exarata) ad Iulii Valerii historiam Alexandri Magni (cf. Kuebleri editio).

IV. (Fol. 92^v—96^v) *Expliciunt actus alexandri Magni Macedonis et gesta eius praeclara. Tractatus de insertione arborum. Modus insertionis etc.*

Idem tractatus in nonnullis aliis libris (velut in Amploniano Q. 234) legitur. Desinit in medio enuntiato *sed tamen si quis vacuum cerebrum habet et oblz.* Reliqua paginae pars scriptura vacat, nisi quod in ultima pagina haec leguntur a tertio quodam librario exarata:

V. (Fol. 96^v—98^r) *Seneca de IIII^{or} uirtutibus cardinalibus. quatuor uirtutum etc.*

Librarius litteris minutioribus quidem, sed nitidis usus est. Litterae initiales minio pictae, litterae grandes nigrae, sed rubro atramento exornatae sunt. Lectiones ab Haasii editione discrepantes haud raro inveniuntur et post vocem *tranquillitas* (cf. Haasii edit. pag. 474, vers. 15) haec leguntur: *dum alii a malis vincuntur ab illo mala vincantur*, quibus verbis editio ab Haasio curata caret. Reliqua pars tractatus, quam in Haasii editione legimus, in codice Graeciensi deest; in fine autem haec vocabula rubro atramento exarata legimus:

VI. (Fol. 98^r—99^r) *Explicit de quatuor virtutibus; deinde libellus senece de moribus Omne peccatum etc.*

In margine adnotatum est: *incip lib Senece*. Codex tam similis est Sangallensi 141 s. IX a Carolo Schenkl in actorum academiae Vindobonensis class. philos.-hist., vol. 44, pagg. 33 sqq. descripto, ut paene eius gemellus vocari possit. In fine tractatus verba leguntur haec: *Explicit Liber Senece*.

Fol. 99 recti reliqua pars et versum totum vacua relicta sunt. Inde a folii 100^r col. *a* nova codicis pars incipit his verbis miniato atramento scriptis:

VII. (Fol. 100^r—123^v) *Rethorica Seneca magistri.*

Littera initialis *E* grandior minio picta est. Rursus nova manus cognosci potest. Atramentum, quo librarius usus est, mox fuscum mox sub-fuscum colorem habet; litterae initiales singulorum capitum non perfectae, sed lineis solum adumbratae sunt. Notae numerorum, quae singulis capitibus additae sunt, eadem manu recentiore scriptae mihi videntur, quae singulis epistulis Senecae numeros adscripsit. Hic tractatus, qui desinit folio 123^v, col. *b*, vers. 29, decem libros controversiarum Senecae patris in epitomen coactos continet. Cf. Teuffel-Schwabe, Geschichte der römischen Litteratur, 5. Aufl., pag. 644, § 269, 4, 6, 7.

VIII. (Fol. 124^r—127^r) *Diswasio valerij ad ruffinum ne ducat uxorem. Loqui prohibeor* etc.

De hac epistula, quae typis descripta est in Hieronym. Opp. ed. Vall. XI, ep. 36 (Migne 30, 254); cf. Teuffel-Schwabe, pag. 1229, § 477, 7. — Eandem manum, quam iam in excerptis controversiarum repperimus, in hoc tractatu cognoscimus. Duo ultimi versus folii 127^r inscriptionem rubricatis litteris insignitam ferunt:

IX. *Epistole Seneca ad | pa u. lu. m. apostolum.*

Qui libellus pulchre et nitide scriptus a quinto quodam librario exaratus est. Litterae initiales miniatæ, litterae grandes praeter paucas nigro atramento exaratae et rubro exornatae sunt. Numeri capitibus adiecti sunt manuilla, quam iam supra animadvertimus; eadem libellus correctus est. Vocabula „Data Cal. Augusti Leone et Sabino consulibus“ in fine XIV. epistulae desunt. Ultimae epistulae epitaphium Senecae (ed. Haase, III, 482 = Anthol. lat. ed. Riese 667) eadem manu adiectum est.

X. (Fol. 129^r—130^r) *Fertur aureoli (!) theofrasti liber* etc.

Est tractatus ille per totum medium aevum studiose lectitatus et saepissime descriptus e libri adversus Iovinianum I cap. 47 (Migne 23, 276), excerptus. Cf. Teuffel-Schwabe, pag. 1111, § 434. — Cum magna huius tractatus pars, qualem in Haasii editione (III, 428) legimus, in codice Graeciensi desit, nonnulla in eo adiecta sunt. Scriptus est libellus ab eadem, ut mihi videtur, manu atque tractatus qui antecedit eundemque correctorem passus est.

Ultimus, qui in codice exstat, tractatus titulum habet rubricatis litteris inscriptum:

XI. *De fluminibus et fontibus diuersarum regionum: ✠ Aquarum naturae diuersitas multa* etc.

Hic libellus medio in versu 14 in folio 130^v, col. *a* in uerbis nocte ut non tangatur abrumpitur, cum reliqua pars ultimae paginae vacua sit. Continet epitomen ex Plinii Naturalis historiae XXXI. libri cap. 2—19 factam. — In angulo dextro superiore ultimae paginae haec verba inscripta sunt:

De nouo monte cū quod alio in Theologia congregato et deinde alia manu exarata: *vtricus Haller De walderbach*. Unde adparet librum Graeciensem olim fuisse monasterii Cisterciensium monachorum in Styriae vico qui Neuberg vocatur prope Mürzzuschlag sito a. 1328 conditi, a. 1785 iussu Iosephi II. imperatoris dissoluti, cuius bibliothecae codices tunc in bibliothecam universitatis Graeciensis transportati sunt.

Iam de scribendi ratione, quae in libro Graeciensi observatur, aliquanto accuratius disseram. Ac primum quidem de rebus ad orthographiam spectantibus agam.

I. Vocales.

Pro litteris *ae* et *oe* semper *e* littera substituta est: *diuicie*, *sepe*, *egiptus*, *ethna*, *ephestion*, *erumpna*, *cheree*, *polienus*, *mecenatis*, *anneum*, *cesaris*, *tracie*, *celum*, *cedes* (pro *caedes*), *equo* (pro *aequo*), *hee*, *etas*, *cespes*, *queror* (pro *quaeror*; ita ut librario, quod *cenare* et *cena* recte scripsit, minime laudi tribuendum sit); *cepi* (pro *coepi*), *melibee*. Duobis locis reperimus *ae*: Ep. 81, 9 *aere* (pro *aeri*); 81, 17 *aere*; uno loco *oe*: 42, 1 *foenix*; praeterea *ae* pro *oe*: 47, 12 *Craesus*; *oe* pro *e*: 31, 9 *poeninum*.

e scripta pro *i*: *uendico*, *nausea*, *nauseabundus* (sed 95, 18 *nausiabundus* legitur), *atque* (pro *atqui*), *sceneci*, *commissionibus*. — *i* scripta pro *e*: *darij*, *uirgilius*, *negligo*, *negligencia*, *negligencior*, *intelligo*, *ualitudo*, *aristotiles*, *religatus*, *liniamenta*, *beniuolencie*, *deligacio*.

y scripta pro *i*: *hyemps* (passim *hiemps*), *tyberim*, *cyrcensium*, *tyberius*, *ymago*, *ymaginarum*, *perypatetici*, *phydias*, *symulachra*, *tygrin*, *dyaleticos*, *ymmo*, *yxioni*, *ydoneum*, *ydea*, *hylarem*, *hyspania*, *ydiomenio* (pro *idomeneo*), *cyragra*, *dyndymi*. — *i* scripta pro *y*: *limphaticos*, *cambises*, *pirrhonei*, *didimus*, *sillabarum*, *edissea* (pro *Odyssea*), *thermopile*, *phithio* (pro *Pythio*), *progimnasiae* (pro *progymnastae*), *calibes* (pro *Chalybes*), *scilla*, *charibdis*, *girus*, *licia*, *simphonia* aut *sinphonia*, *cinici*, *polienum*, *chrisippi*, *clamidem*, *clepsidram*, *doriphoros*, *liricis*, *egiptus*, *micenarum*, *pirrhonei*. — *i* scripta pro *ii*: *desisse*, *transsisse*, *isdem*, *bais*, *abit*, *praerit*, *perit*, *transit*. praeterea vix est quod *moneam*, inter *his*, *hijs*, *iis* et *hi*, *hij* fluctuare scribendi usum. — *y* scripta pro *u*: *Sylla*; *i* pro *u*: *Silla*, *transilierit*, *timor* (pro *tumor*); *u* scripta pro *i*: *obstupuit*.

o scripta pro *u*: *iocundus*, *adolescencia*, *adolescencium*, *epistola* (haud raro *epistula*), *circonstreperit*. — *u* scripta, non *o*: *uulgus*, *uultus*, *uult*, *promunctorium*, *uulnus*, *uulgares*.

w scripta pro *v*: *wulgus* (semel), *diswasio*. — *v* interdum scripta pro *u* in initio vocabuli: *vnquam* (sed etiam *unquam*), *vnquentum*, *vrna*, *vniuerso*, *embram*, *vua*, *vnda*, *vna*; *uu* scriptae pro *u*: 77, 16 *muluus* (pro *mullus*).

II. Consonantes.

1. Simples consonantes positae sunt pro geminatis:

c scripta pro *cc*: *sucum*. — *d* pro *dd*: *redit* (semel). — *l* pro *ll*: *sylogismis*, *eleboro*, *moliunt*, *difficilimum*, *similimam*, *solempni*, *calisti*, *reuelat* (quod *e* male scripta forma *rebelat* perperam effectum esse adparet), *muluus* (pro *mullus*); at semper scribitur iusta forma *querela*. — *m* pro *mm*: *gramaticus*, *(in)comoda*, *consumet*, *consumant*. — *n* pro *nn*: *hanibal*, *porsena* (semel). — *p* pro *pp*: *oportune*, *iupiter*, *operiuntur*, *Sapho* (recte *Apion*). — *r* pro *rr*: *retoridam*. — *s* pro *ss*: *pisacione* (pro *spissatione*). — *t* pro *tt*: *litera*, *retuli*, *blataria*; at recte nonnumquam *littera*, *litteratura*, *oblitterata*.

2. Geminatae consonantes scriptae sunt pro simplicibus:

bb scriptae sunt pro *b*: *grabatus* (quae tamen forma ut alia illa *grabattus* in vetustis et bonis quoque libris legitur). — *cc* pro *c*: *paccatus*. — *ff* pro *f*: *Affricani*, *affricam*, *diffinicio* (pro *definitio*), *ruffinum*. — *ll* pro *l*: *intollerabile*, *intollerandus*, *tollerancia*, *tolleranda*, *allexander*. — *nn* pro *n*: *strennuus*. — *pp* pro *p*: *suppellex*. — *ss* pro *s*: *possidonius*, *transsisse*, *dissice*. — *tt* pro *t*: *littora*, *grabattus* (cf. quae exposui supra).

c pro *ch*: *calibes* (*Chalybes*), *scolas*, *naumacia*, *hermarcus* aut *hermacus*, *crias*, *cyragra*, *clamidem*, *crisippi* (semel). — *ch* pro *h*: *nichil*, *michi*.

qu pro *c*: *quomodo* (saepius pro *commodo*). — *c* pro *qu*: *secuntur*, *locuntur* (sed *sequuntur*, *loquuntur* passim), *cos* (semel pro *quos*).

c pro *t* ante vocalem *i*: *pocius*, *negocium*, *forcius*, *paciaris*, *racio*, *pronunciatio*, alia eiusmodi; sed monendum est sat multis locis *c* et *t* litteras a legentibus discerni non posse. — *ce* pro *ct*: *acciones*, *colleccione*, *recciora*. — *ct* pro *cc*: *flactum*, *buctas* (*Flaccum*, *buccas*). — *c* pro *cch*. — *t* pro *ct*: *bachatur*, *dyaletici*, *dialecticam*.

c pro *d*: *quicque*; saepius leguntur *quicquid*, *quicquam*, *quam quidquid*, *quidquam*.

c pro *g*: *grecales*.

k pro *c*: *karissime*.

b pro *u*: *Pacubius*. — *u* pro *b*: *Fauianus*.

b pro *p*: *boblitibus*. — *p* pro *b*: *optineo* (quod cave antiquitati tribuas).

g pro *gu*: *langor*, *distingunt*, *sangis*, *vingentum*, *ungentarios*. — *u* pro *gu*: *relanuescit*, *extinuetur*. — *gu* pro *g*: *ambiguitur* (sed *tinguendus*, *tinguit* sim.).

m pro *mn*: *Agamennon*; *autennat*.

th pro *t*: *thauro*, *baltheus*, *thus*, *cantherio*, *ethnam*, *megisthanos* (pro *megisthanas*). — *t* pro *th*: *cleantes*, *pythagoram*, *cartaginis*, *pytaules*, *tracie*, *ptisim* (pro *phthisin*); recte *coturnati*.

ph pro *p*: *anphathian* (pro *apathian*), *phithio* (pro *Pythio*). — *p* pro *ph*: *ptisim*. — *f* pro *ph*: *foenix*, *frenetici*.

d pro *t*: *inquid*, *adque* (semel), *uclud* (ut saepissime in vetustioribus libris manuscriptis). — *t* pro *d*: *aput* (sed *apud* passim), *atque* (pro *ad quae*).

n pro *m*: *serpente*, *ponpeii* (semel), *inperiosa*, *tenperantia*.

Aspiratio perperam aut omissa aut addita est. *h* littera deest: *oracius*, *ora*, *ebes*, *etheri* (pro *Haterii*), *ortulis*, *ordacei*; *ippoperis*, *ecuba* (sed etiam *hecuba*), *ephestion*, *eraclitus*, *eleboro*; *rodij*. — *h* littera addita est: *a*) in initio vocabulorum: *hij**, *hij** (pro *ii*, *iis*), *habitura*, *habundantem*, *habunde*, *humor*, *hostium*, *humerus*, *hodium*; praeterea librarius *harena* scribere solet. — *b*) medio in vocabulo: *cohercerent*, *cohercicionem*, *abhominanda*.

s littera plerumque post *x* litteram (1), interdum post *s* (2), raro ante *c* (3), semel ante *p* (4) excidit: 1. *execucionem*, *executus*, *exultabis*, *extinguo*, *exerent*, *execrantur*, *exurgendum*, *exanguia*, *extimulat*, alia; semel tamen *exsurgunt*. 2. *transilit*, *transcenderint*, *transcripseris*. 3. *cyphus*, *ceptrum*. 4. *pisacione* (pro *spissatione*).

Inter litteras *m* et *n* (*s*, *t*) littera *p* inseri solet: *sompno*, *sollempni* (sed *solemne* quoque scribitur) *alumpnum*, *pedetemptim*, *dampnum*, *dampnosum*, *dampnare*, *erumpnas*, *calumpniatur*, *columpnarum*, *hyemps*, *contempnuntur*; sed nonnumquam apparent formae, quales *assumptus*, *contemsisse*, *temptare*, *temptes*, *dampnatur*, *intentatur*, *contentu* (pro *contemptu*); at semel tantum legitur *contemptus* (pro *contentus*).

b littera perperam inserta: *obstentit* (pro *ostendet*), *obstentacio*.

III. De assimilatione.

Plerumque in vocabulis compositis formae assimilatae quae vocantur leguntur, etsi dissolutae non prorsus desiderantur. Quam assimilationem vetustioribus maxime codicibus propriam esse virorum doctorum curis iam dudum demonstratum est. Cf. Buecheler, Senecae epist., ad. Ep. XV, 2, § 60, extr. p. Sed iam proferamus exempla.

Si praepositio *ad* cum vocabulo coniungitur, assimilatio fieri solet: *attende*, *attribuit*, *attrahunt*, *attigi*, *attollant*, *apparuerit*, *appellem*, *appetenda*, *appeticio*, *apparatus*, *approbat*, *assignant*, *assenciamus*, *assuescere*, *assit*, *asserat*,

assidua, assectator, assurgat, affuit, affricuit, affixit, affirmabunt, affectant, affectus, affligi, affert, affici, accomodantes, acclamabit, accolet, acgessit, acquisita, acquiescant, aggestu, aggredi, allocutus, alligari, allidit, allinit, alleuabar, ammoneri, ammouerit, amminiculum, ammiracio, ammiraris, amministrationem, ammonicio, annumeres, arripio, ut omittam alia; eodem referenda haec exempla: aspectus, aspiceres, ascendit, astringit, aspernacio, ascribi (sed semel ascribimus). Formas non assimilatas inveni has: admouentur, adgrediendi, adprobare.

Hoc loco in vocabulis compositis semel atque iterum consonantem quasi assimilatione facta falso excidisse adnotaverim: *aligatum* pro *adligatum*, *auersantibus* pro *aduersantibus*, *amittit* pro *admittit*, *amoneatur* pro *ad-moneatur* (nisi fortasse compendium *m* litterae (ā) omissum est librarii negligentia), *auertere* pro *advertere*, *adicere* pro *addicere*, *agressus* pro *aggressus*.

In vocabulis cum praepositione *in* compositis utrum assimilatio adhibita sit necne, haud raro dubium est, cum librarius compendio *ī*, quod in utramque partem accipi potest, usus sit. Plerumque autem librarius vocabula cum praepositione *in* composita assimilata scripsit, velut: *illustribus*, *illudit*, *illigamus*, *imminere*, *immobile*, *impendio*, *impleuit*, *impar*, *impetum*, *impediēt*, *impetratum*, *imperiti*, *impericia*, *imprimebam*, *improbis*, *impedimenta*, *impellimur*, *importunitatem*, *impensas*, *impositis*, *imprime*, *impegerat*, *imputant*, *irritantur*, *irritus*, *irritacio*, *irritamenta*, *irruant*, *irrupisse*, *irrigaret*, *irreuocabiles*, *irracionalis*, *irroganda*. e contrario haec legimus: *inpos*, *inperiosa*, *inponat*, *inpediat*, *inpietas*, *inpubis*, *inbuitur*, *inritet*, *inplorat*, *inplere*, *inperata*, *inperator*, *inpellit*.

Vocabula cum praepositionibus *sub*, *ob*, *con* composita modo assimilationem exhibent modo omittunt. *sub*: *succubui*, *succinctus*, *suffossionibus*, *suffusus*, *suffundebatur*, *suffoditur*, *suggestit*, *summoueo*, *summisit*, *supputat*; sed: *subpressit*, *submitti*, *subplantatus*; *ob*: *officit*, *offundunt*, *oppono*, *opprimo*, *oppressa*; sed: *obprimere*, *obpone*, *obpetere*.

con: *colloces*, *colloquium*, *colloquar*, *colliduntur*, *collacione*, *collaturam*, *col-luctetur*, *corroborant*, *corrumpitur*, *corruo*, *corripienda*, *incorruptum*. propter compendia adhibita ambigua sunt haec: *3mendat*, *3minuet*, *3plicamus*, *3posuerit*, *3petitores*, *3putant*, *3pendiario*, *3sumet*; *cōplicare*, *cōpellet*, *cōplorare*, *cōferunt*, *cō-prendit*. — Sed et leguntur talia: *conpilant*, *completi*, *conpellet*.

Hoc loco non alienum videtur illa quoque vocabula enumerare, in quibus formae in *an*, *un*, *in* exeuntes formis in *am* *um*, *im* exeuntibus semper praeferuntur (nisi siglo ~ usus est librarius): *eundem*, *eandem*, *quandam*, *unquam*, *tanquam*, *utrinque*, *simplicitas*, *simplex*, *simpliciter*; semel *tenperantia* quoque legi.

ā, *ē*, *ū* modo *am*, *em*, *um* (*affricā*, *quidē*, *imperatū*), modo *an*, *en*, *un* (*elephātum*, *ungētarios*, *mūdus*) significant.

Erunt fortasse quibus in eiusmodi minutiis tractandis et enumerandis nimis prolixus fuisse videar. Ego vero non prorsus operam me perditurum esse putavi, si scribendi proprietates ad orthographiam spectantes e codice exeunte iam medio aevo in Germania scripto diligenter enotarem; cum praesertim inter haec haud pauca sint, quae certa vestigia sermonis Latini usui linguarum Romanicarum quas vocant accommodati prae se ferunt. Sed iam his missis id agamus, ut cuius sit codex Graeciensis pretii quique locus ei adsignandus sit inter reliquos Annaeanarum epistularum libros manuscriptos, quaeramus.

Qua in quaestione tractanda cum de libri Graeciensis (Γ) lectionibus, quas solus exhibet quaeque ei cum aliis codicibus communes sunt, iudicium nobis ferendum sit, quam plurimum referre mihi videtur ut dinoscatur, quid ipsi librario tribui possit quidve vetustiori exemplari, ex quo codex Graeciensis descriptus est, adscribendum sit. Quod iam fieri non potest nisi vitis, quae Graeciensi peculiaris sunt, in genera classesve descriptis et diligenter examinatis. Atque initium capiamus a compendiis scripturae sive omissis sive additis sive male intellectis.

Saepe pro *am*, *em*, rarius pro *um* in vocabulis extremis *a*, *e*, *u* ponuntur: 9, 2 *ambiguitatem*: *ambiguitate*; ib. *impatientiam*: *impaciencia*; 9, 9 *ipsam*: *ipsa*; 12, 8 *symphoniam*: *symphonia*; 19, 3 *in medium*: *in mediu*; 73, 4 *omnem*: *omne*, alia. Quae vitia a signo ~ omissio quin repetenda sint, vix dubium est; alibi verborum exitus ad vicina vocabula aberrante librarii oculo detortos esse verisimilius est: 14, 15 *bonam*: *bona* (propter *temperantia*); 42, 8 *libertatem*: *libertate* (propter *acceptaque*); 43, 2 *illam*: *illa* (propter *comparatio*). Quodsi 87, 38 in Γ *Peripatetici et fingunt illa* (pro *illam*) et solvunt scribitur, nescio an consulto haec mutata sint (*illa* = *talia*). In mediis quoque vocabulis ~ negligitur: 22, 14 (= 63, 10) *quemcumque*: *quecumque*; 29, 5 *congiaria*: *cogiaria*; 65, 23 *constant*: *constat*; 77, 1 *vocant*: *vocat*, alia; cum quo vitiorum genere cave confundas formas *coice*, *coicitur*, *circuire*, *circuitur* utpote antiquitus traditas aut saltem a grammaticis medii aevi postliminio reductas. — E contrario signo ~ perperam adposito vitia orta sunt, velut: 38, 2 *spar-genda*: *spargendam* (at cf. quae de hoc loco infra exponam); 72, 3 *vita*: *vitam*; 66, 52 *optare*: *optarem*; 37, 8 *instinctu*: *instinctum*; 29, 11 *pertinet*: *pertinent*. At 88, 13 *rotunda metiri*: *rotundam metiri* aliam prae se fert originem; 16, 1 *inchoata*: *inchoatam* et 79, 18 *bona*: *bonam* ad vicina vocabula tolerabilem et illam accommodata esse videntur; 84, 13 *ad summa*: *ad summam* fortasse consilio non casuitribuendum est. Revera autem signum ~ male omissum additumve esse demonstrant scripturae quales sunt *exercitatoes*, *ōmni*, *dicām*, *honestūm*; unde ad eandem causam alia quoque vitia veluti 30, 6 *autem*: *aut* et 66, 17 *species*: *spes* revocanda esse patet. Denique vix est quod moneam ē = *est* et ē = *em* saepe confusa esse, ut 66, 19 *par est*: *parem*.

Signum ' = *us* omissum vitii causa fuit 6, 2 *illius verae*: *illi verae* (quamquam praecedat *illius*); 71, 36 *profligavimus*: *profligavim* (!); 81, 19 *eius*: *ei*. — ² = *ur*: 81, 1 *dentur*: *dent*; 72, 4 *intraret*: *intraretur*; 12, 8 *caneretur*: *caneret* et 87, 16 *vocantur*: *vocant* nescio an arbitrio potius magistelli cuiusdam quam incuriae librarii tribuenda sint. Ridiculo errore interrogationis signum et ² confusa sunt: 41, 9 *impellit*? : *impellitur* et 79, 8 *adicit*? : *adicitur*.

Denique ~ et ² aliquotiens non discrevit librarius: 74, 11 *querimus*: *querimur*; 88, 20 *erudimus*: *erudimur*. — Haud minus saepe signum ^s = *er* erroris tamquam ansam dedisse videtur: cf. 36, 3 *liberalia*: *libalia*; 85, 20 *innumerabilia*: *innumabilia*; 68, 5 *latere*: *latere*; quibus monstris haec adde exempla aliquanto venia digniora: 8, 5 *tenete*: *tenerete*; 22, 12 *emerge*: *emergere*; 30, 2 (70, 10) *coepit*: *ceperit*; 66, 18 *responderi*: *respondi*; 88, 4 *cupere*: *cupe*. — Praeterea confunduntur ~ et ^s: 7, 4 *caedem*: *cedere*; 75, 2 *ostendere*: *ostendem*; ² et ^s 13, 11 *molliter*: *molitur*; 15, 5 *alitur*: *aliter*. — Non huc pertinere videtur 49, 9 *externum*: *extñū*, quoniam a superscriptum *ra* significare solet, ita ut de *extraneum* cogitavisse lectionis auctorem quisquis is fuerit haud inepte conicias. — 24, 18 *nudis*: *nudus* signis ' et ' confusis facile explicatur.

Deinde satis multa vitia orta sunt e consuetudine vocales *i*, *u*, *a* supra lineam collocandi, velut 12, 7 *aliter*: *alter*; 21, 4 *perre*; 30, 11 *prma*; 47, 10

frui : fru; 49, 4 *sive quia admoveri : sine qua a.*; 64, 3 *facunt*; 79, 15 *eruditiores : eruditores*; 18, 7 *sagum : sagium*; 19, 8 *audendum : audiendum*; 32, 2, *moratur : moriatur*; 75, 3 *ieiuna : ieiunia*; 80, 3 *calces : calices*; 35, 3 *amamus : ammus*; 83, 4 *ambilis*; 29, 11 *nescias : nescis*; 82, 19 *genus : gens*. — Consonantes quoque finales cum in fine vocabuli supra collocari soleant, nonnumquam accidit ut omissae aut perperam additae inveniantur, ut 7, 7 *est : es*; 18, 1 *sonant : sonan*; 20, 7 *veros : vero*; 49, 10 *laxa : laxat* (at 14, 5 *cogita : cogitat* propter *habet*, quod in enuntiato praecedenti legitur, scriptum videtur). Cf. quae de eiusmodi erroribus exposuit Henricus Schenkl, Zur Kritik und Überlieferungsgeschichte des Grattius und anderer lateinischer Dichter, annal. philol. suppl. vol. XXIV, pag. 421 sqq.

Litterarum formis similibus saepius librarii oculi decepti esse videntur, ut 4, 3 *minus : nimis*; 7, 1 *exeo : et eo*; 8, 1 *exit : erit*; 10, 2 *nihil : in hoc*; 18, 6 *nolueris : volueris*; 31, 2 *vox : nox*; 49, 9 *demens : clemens*; 52, 3 *hunc : nunc* (5, 6 *nec : hec*); 83, 5 *raro : racio*. Satis mira sunt haec exempla: 36, 12 *perducit : perdudat* et 48, 7 *subducere : subdudere*, quae quomodo expediam equidem nescire me fateor. Creberrima sunt exempla litterarum *r* et *t* confusarum: 40, 12 *concite : concitare*; 52, 10 *tacete, favete : tacere, favere*; 66, 37 *incolumitate : incolumitare*; 81, 17 *cupiat : cupiar*; 88, 40 *tota : rota*. Neque desunt exempla, quibus librarii oculos ad proximam syllabam aut ad idem vocabulum repetitum aberrasse demonstratur, ut 30, 12 *homini : homi*; 9, 6 *sine medicamento, sine herba, sine . . . carmine*, ubi desunt verba *sine herba* in Γ.

Iam transeamus ad eos locos, quibus librario fraudi fuerunt quae eius animo in scribendo observabantur vocabulorum similiter conformatorum imagines; cuius generis plurima inveniuntur exempla. Velut 5, 3 *frugalitatis : fragilitatis*; 8, 1 *imperant : important*; 20, 5 *exceptiunculam : excerptiunculam*; 21, 5 *eximet : estimet* (*extimet*, quae forma in codicibus saepe invenitur, legisse sibi visus est amanuensis); 22, 9 *atrium : antrum*; 26, 6 *oratio : ratio* (at 65, 2 *ratio : oratio*); 29, 12 *puerique : plerique*; 34, 1 *iudicet : videlicet*; 36, 11 *orbem : ob rem*; 48, 11 *astra : castra*; 52, 11 *hominibus : omnibus*; 65, 6 *templo paravit : templo ploravit*; 73, 13 *felicitate : fecilitate* (!); 76, 31 *constiterit : consisterit*; 79, 15 *delituerat : detulerat*; 82, 22 *minuta : munita*; 86, 10 *Fabium : fabrum*. Alibi quin librarius — id quod iam antea passim observavimus — temere traditas scripturas mutaverit vicini cuiusdam vocabuli forma deceptus dubium non est; velut 8, 8 *Epicuri : epicuro* (qui casus paulo antea in eodem enuntiato legitur); 21, 8 *transtuleris : transtulerit* (sequitur *poterit*); 74, 6 *bonum : bonam* (propter *illam*); 78, 17 *non sit an non sim : non sit an non sit*. Sunt alia, in quibus frustra puto quaesiveris, quam ob causam librarius a tradita lectione discesserit, nisi dormitasse eum putaveris, ut 22, 3 *praesentis : apraesentis*; 2, 5 *Epicurum : epicuros*; 3, 2 *amicitiam : amicum*; 9, 18 *insequitur : insequare*; 24, 9 *Cn. Pompeii : Gaium neium Pompeij*; 21, 9 *in philosophia : in om.*; 30, 12 *utros om.*; 31, 2 *aures om.*, sim. — Quodsi 33, 5 *crux* pro *crus*; 45, 9 *vix* pro *vis* (ante *moveret*) legitur, iure dubites, an haec sint vestigia dialecti cuiusdam Gallicae aut Italicae; neque aliter de duabus aliis scripturis, 86, 11 *balneo : baneo*¹⁾ et 86, 1 *egregiam : gregiam* iudicandum esse suspicor.

Satis his exemplis adlatis, quorum numerum augere facili negotio poteram, demonstrasse mihi videor librum Graeciensem neglegenter exaratum esse omnisque generis vitiis scatere. Quae res certe ei fidem non derogaret, si ceteroquin verba scriptoris licentia saltem et libidine non corrupta servaret. At haec laus ut ei tribui possit, tantum abest, ut

¹⁾ Sic in V quoque olim scriptum fuisse sero ex Hensii apparatu cognovi.

sescenties in eo memoriam antiquitus traditam consulto depravatam esse manifestissimum sit. Ac primum quidem notabile est per totum librum verborum seriem saepissime temere immutatam esse; quod ut probem exempla e primo libro desumpta adferre satis habeo haec: 2, 2 *se ingenio* : *ingenio se*; 3, 1 *illo verbo* : *verbo illo*; 5, 6 *miretur quam supellectilem nostram* : *qu. s. n. miretur*; ib. 5, 8 *expectatione sollicitum* : *soll. exp.*; ib. *condicionis humanae* : *hum. cond.*; 5, 9 *bona nostra* : *nostra bona*; 6, 5 *protinus ante accedas colloc.*; ib. *et efficax per exempla* : *per ex. et eff.*; 7, 2 *nescientibus adliniit* : *allinit nesc.*; 7, 9 *formandus tibi* : *tibi formandus*; 8, 1 *videor interim* : *int. vid.*; 9, 7 *agricolam et serentem* : *et ser. agr.*; ib. *pingere est* : *est pingere*; 9, 8 *habere amicum* : *amicum habere*; 9, 11 *habet aliquid* : *aliquid habet*; 9, 13 *autem est* : *est autem*; 9, 14 *necesse sapienti* : *sapienti nec.*; 9, 17 *tollit se* : *se tollit*; 9, 20 *se non* : *non se*; 10, 1 *huius ipsius* : *ipsius huius*; 10, 5 *esse te omnibus* : *omnibus te esse*; ib. *eo perveneris* : *perv. eo*; ib. *possis palam* : *palam possim*; 12, 3 *inquit post at ille colloc.*; 12, 5 *fatigasse ac reliquisse* : *reliquisse ac fatigasse*; 12, 6 *nemo tam* : *tam nemo*. — Inter quae exempla etsi nonnulla sunt, quae casui aut errori tribui possint, tamen haud pauca exstant, in quibus verborum seriem eo consilio immutatam esse pateat, ut enuntiatorum conformatio aut magis perspicua fieret aut — id quod raro observatur — cultior atque elegantior. Nonnumquam quod verba in l' omitta sunt, facile explices, si vocabula alio ordine collocata fuisse putaveris; velut 24, 12 *conscientia tibi tua* : om. *tua l'*, unde conicias in archetypo scriptum fuisse *consc. tua tibi*; est ubi interpolatorem manifestum teneas, ut 65, 4 *tertia est forma est (!)*, quae etc.

Idem explanandi studium multis aliis locis grassatum esse e certis indiciis cognoscitur. Rariorum formarum vice usitatiores positae sunt, ut 2, 6 *sat est* : *satis est*; 3, 6 *refugere* : *refugierunt (!)*; si tale quid egit, qui 70, 18 pro *permansere* posuit *permansure* (= *permansurae sunt*), secus certe ei res cecidit. Copula quae dicitur, ut enuntiati conformatio expleretur, haud paucis locis addita est, ut 15, 11 *quid tibi <est>*; 16, 1 *firmandum <est>*; 26, 10 *extra omnem <est>*; 20, 13 *excitandus e<s> somno*; rursus omitta est 22, 1 *vetus proverbium [est]*. Eodem spectare videntur haec: 3, 2 *cum amico < tuo>*; 4, 11 *in . . . littora < nos> inpingunt*; 9, 21 *non est beatus, esse < beatum> se qui non putat*. 36, 3 orationem quae vocatur obliquam post *Ariston aiebat* adhibitam proximoque enuntiato continuatam cum aut ipse non recte intellexisset magistellus quidam aut a tironibus intellegi posse desperaret, novum inseruit verbum: *< videtur> vinum enim bonum fieri*; ubi additamentum illud olim extra scriptoris verba positum fuisse propter verborum seriem veri simile fit. Dissolutum coniunctionibus insertis tollitur: 24, 18 *consumptis < que>*; 23, 9 *est < enim> semper*; 50, 9 *< ac> deinde*. Neque aliter iudicandum censeo de his lectionibus: 7, 12 *et quid habes, cur (ut l') placeas tibi?*; 38, 1 *nec enim* : *non enim*; 10, 2 *futura pericula struunt*, ubi *futura* ut superflua vox in l' non apparet; eodem consilio fortasse in 3, 4 quoque (*rursus etiam carissimorum*) vocabulum *etiam*, quod cum insequenti coniungendum esse non perspexit diorthota ille, sublatum est; cf. 7, 3 *ad ictum totis corporibus expositi (exp. om. l')* numquam frustra manum mittunt. Etymologicam doctrinam redolet 9, 6 *veneficae* : *venenifcae*. Inprimis autem oculos in se convertunt loci nonnulli, quibus in enuntiatis interrogatoriis obliquis quae vocantur non coniunctivus, quem reliqui libri servaverunt, sed indicativus ponitur, ut 13, 12 *ille sit* : *ille fuit* (nisi *fu'it* = *fuerit* olim scriptum fuisse putes); 79, 1 *agatur* : *agitur*; 82, 5 *sit, unde* : *est, unde*; 83, 18 *turbetur* : *turbatur*. Quod corruptelae genus in aliis quoque libris manuscriptis saepius observatur, ita ut quin consulto in Senecae verba illata sit dubitare non liceat. Accedit, quod et inter-

rogationes directae creberrime a Seneca orationi insertae et sermonis usus per labentis latinitatis tempora magis magisque praevalens (cf. quae Schmalz exposuit in Muelleri Ench., II, 2³, pag. 359) tales correctiones commendabant. Fortasse eodem pertinent haec exempla: 84, 4 *decerpserint : decerpserunt* et 85, 9 *coeperint : coeperunt*. Contra evenit 51, 4, ubi pro *debemus* in l' legitur *debeamus*.

Interdum is qui haec et multa alia eius generis, quae praetereo, commisit, dum commodo legentium discipulorumve consulere studet, in errores incidit satis graves. Velut 29, 4 *sed si cito illi manus porrigitur*, ubi *etsi* pro *si* posuit enuntiatum ab iis quae proxime sequuntur *est quidem periculum* pendere ratus; similem in modum 31, 8 (*quod non potest esse, nisi rerum scientia contingit et ars*) idem, nisi fallor, homuncio male sedulus sublata coniunctione *nisi* verba *rerum scientia* iis quae praecedunt adiunxit puncto post *scientia* posito. 39, 2 *quam multi tibi laboraverint* dativi proprietate non perspecta ausus est *ibi* scribere. 41, 5 *num* pro *non* posuit enuntiatum interrogativum esse opinatus. 22, 13 (*inquis*) deceptus est eo, quod aliquot versibus post (15) *inquit* legitur; unde priore quoque loco restituendam esse putavit tertiam personam. Multa alia possum proferre; sed ne eiusmodi ineptiis enumerandis oleum et operam perdam, satis habeo unum exemplum addere idque re vera ridiculum. Nempe 12, 8 ubi haec leguntur: *Pacuvius, qui Syriam usu suam fecit, cum vino et illis funebribus epulis sibi parentaverat* (*parentaverit* LP Hensii), in l' *parentaverint* invenitur; quae scriptura quomodo orta sit, vix explicare poteris, nisi tibi persuaseris fuisse, qui Syriam aut uxorem aut amasium Pacuvii fuisse existimaret.

Praeterea crebri sunt loci, quibus pro genuinis vocabulis similia inculcata inveniantur, idque sine ulla causa, nisi putes eum, cui ista adscribenda sunt, aut vesana quadam mutandi et variandi cupidine actum esse aut — id quod maiorem habet veritatis speciem — vocibus synonymis adpositis id egisse, ut discipulis verborum suppellectilem copiosorem suppedicaret. e magna exemplorum copia pauca haec proferam: 2, 1 *morari : commorari*; 5, 5 *parabiles : apparabiles*; 7, 4 *sunt : fient*; 20, 7 *ista : illa*; 31, 2 *deos ora : deos adora*; 32, 5 *adiiectione : adiectione*; 33, 1 *sunt notabiliora : nota sunt*; 39, 3 *ditionemque : condicionemque*; 40, 11 *Romana eloquentia : Romani eloqu.*; 66, 7 *actura : habitura*; 70, 3 *ut scis : ut scies*; 74, 4 *tristitiam : mesticiam*; denique 11, 9 *faciat : fiat*, quod adeo nos disciplinae scholasticae admonet, ut paene oculis cernere videamur ludi magistrum pueris baculum intendentem et Donatum inculcantem. Quod 73, 7 legitur *possessionem<que> proprietatemque*, elegantiae studiosum fuisse interpolatorem ostendit; at 34, 3 *quem malum facere nulla vis, nulla necessitas possit* credibile est eum, qui pro *necessitas* posuit *potestas*, in voce tradita, dum nimis argute eius significationem rimatur, offendisse necessitati inevitabili hic locum non esse ratum. Invita, ut aiunt, Minerva egit, qui 68, 6 pro *hoc agendum* temere *gaudium hoc* scripsit. Qua aetate vixerit cuique fidei addictus fuerit, ipse prodidit interpolator, cum 39, 1 *ratio ordinaria . . . quae nunc volgo breviarium dicitur* vocem *nunc* delevit. Alia exstant exempla, quae haud inepte monacho tribuas; velut 66, 35 *externa : eterna*; 39, 6 *mores sunt : mors est*; 18, 11 *extrema : terrena*; neque absurdum est eum qui 9, 3 *noster sapiens vincit quidem incommodum omne* scripsit *in hoc commodum omne*, de mundanis bonis cogitasse et simile quiddam eius animo obversatum esse, cum 35, 3 pro *mortalem* posuit *immortalem*.

Interdum fit, ut quae in codice l' solo leguntur a reliquorum librorum manuscriptorum memoria discrepantia eaque sensu carentia suspicionem moveant quaedam librariorum culpa foede deformata esse; velut 13, 12 *sit :*

fuit, quod e fuerit (fu'it) corruptum esse videtur; 23, 6 in contrarium : in contrariam, ubi in contraria exspectes; 14, 14 postea : modo (num postmodo?); 38, 2 seminis modo spargenda sunt : seminas modo spargendū sunt Γ^1 (sed spargendū postea corr.), ubi semina modo spargenda sunt fortasse scripturus erat corrector. Prorsus absurdae, ut de iis sive explicandis sive emendandis desperandum sit, hae sunt lectiones : 29, 4 spero : despero; 33, 11 duces : iudices; 47, 17 superiorem : deteriolem.

Inter exempla a nobis adlata nonnulla esse, in quibus non explicandi studium aut variandi libido aut vana eruditionis iactatio appareat, sed honestum potius consilium scriptoris verba corruptelarum sordibus iudicio ac ratione purgandi, passim adnotavimus. Neque hercle rem ita se habere mirabitur, qui quam studiose per medii aevi tempora in occidentalibus quoque Europae regionibus arti quam vocant criticae factitandae operam dederint grammatici probe noverit. Cuius rei etiam liber Graeciensis haud pauca testimonia exhibet, velut 4, 5 inter ipsa scriptoris verba post rapiuntur haec addita leguntur *l' rapiunt*, quae e margine irrepsisse manifestum est. Ipse librarius, quod in archetypo 2, 1 ad verba *aegri animi ista iactatio est* in margine adnotatum invenerat, *valde bona* — quod inter legendum ab homine quodam tamquam approbationis signum, ut $\omega\kappa\alpha\iota\omicron\nu$ illud in libris graecis manuscriptis, adpositum esse videtur —, postea inseruit haec verba ut praedicatum ad enuntiatum illud pertinere perperam ratus. Omnino autem correctiones a primario amanuensi factae rariores sunt; multo frequentius secunda manus (Γ^2) in libro corrigendo versata est, quae haud pauca menda codicis cuiusdam ope sustulit (ut 5, 7 ea Γ^1 : eadem Γ^2 ; 7, 8 oculis Γ^1 : oderis Γ^2 ; 11, 3 viventibus Γ^1 : invenibus Γ^2 ; 11, 8 animo tuo Γ^1 : animo volo Γ^2 ; 13, 14 secuta Γ^1 : cicutā Γ^2); atque inprimis verba ommissa supplevit (ut 4, 8 ira : 5, 2 satis ipsum . . . invidiosum est; 13, 12 vitio; 22, 15 genui), multa tamen vitia eaque apertissima, ut fieri solet, intacta reliquit (velut vocabula perperam repetita 74, 7 duravit duravit : 74, 26 in suo modo in suo modo). Praeterea memoratu dignum est multas e lectionibus, quas corrector iste inseruit, sive eas e libro manuscripto desumpsit sive ipse commentus est, eandem fere indolem prae se ferre, quam in lectionibus primariis codici Γ peculiariibus apparere iam antea animadvertimus; cuius generis haec sunt exempla : 1, 5 ignoscunt : cognoscunt Γ^2 ; 2, 2 Illud autem vide : Illud audi et vide; 2, 4 compara : comparatur; 2, 6 primus : primus modus; 3, 2 an : cum; 18, 3 nec it (*id* corr. Γ^1) nec abducitur : nec ita (quod male pro itur exaravit librarius) nec abducitur Γ^2 ; 26, 10 amor vitae, qui ut non est abiciendus, ita minuendus est : . . . quae . . . abicienda . . . minuenda . . . Γ^2 .

Hucusque earum tantummodo lectionum mentionem fecimus quae in solo libro Γ apparent; iam selectis quibusdam exemplis adlatis demonstrabo correctiones a Γ^2 illatas mirum in modum modo cum hoc modo cum illo e deterioribus libris concinere : 1, 5 sat : satis Γ^2 = *Gorv* : 2, 2 exigentibus : agentibus Γ^2 = *G Sc Germ. A u R R*; 2, 3 sanitatem : ad san. Γ^2 , aliud san. u; ib. distringit : distrahit Γ^2 (?) s. l. = u; 3, 2 praepostero : eque praepostera Γ^2 , praepostero ordine eque Bulovii cod. *Sc A*; 4, 4 e tecto : a tecto Γ^2 = edd. inde ab Erasmania usque ad Muretianam; ib. producenda : producenda re Γ^2 = *Sorb. Pra*; 6, 7 solus : solus qui sibi amicus est Γ^2 ed. *Mureti*; 13, 10 nusquam : numquam Γ^2 = *G (E V) ζ*; 13, 14 confecit : infecit Γ^2 , fecit *Pa λ*; 16, 8 eo : om. Γ^1 , adeo Γ^2 , et adhoc *G alii*. Quam inconstantiam vix explicari posse puto, nisi codicem, quo in corrigendo usus est Γ^2 , varietate lectionum undique congesta refertum fuisse ac mixtam ut nunc aiunt recensionem praebuisse existimaveris.

Sed iam in eo est, ut ad alteram quaestionis nobis propositae partem tractandam accingamur atque inquiramus, quibuscum e libris deterioribus liber Graeciensis arctiore quodam cognationis vinculo coniunctus sit; nam de lectionibus eius cum bonis libris concinentibus agere prorsus inutile est, quoniam vix unus e libris recentioribus invenitur, quin, cum ceteroquin sit pessimus, interdum solus cum praestantissimis codicibus faciat. Inter deteriores autem libros consentaneum est eos praeter ceteros respici, qui, quod ad epistularum numerum attinet, quam proxime ad Graeciensem accedunt. Sunt autem hi:

Argentoratensis b		continent, ut liber Graeciensis, libros I—V et VII—XIII.
Norimbergensis		
Vindobonensis 150		
Codex Jureti		
Amplonianus	}	continent libros I—V.
Bambergensis alter		

Hos igitur libros etsi non omnibus tamen plurimis locis inter se et cum libro Graeciensi consentire si quis suspicaretur, vix in temeritatis reprehensionem incursum eum esse putes. Quae tamen spes magnopere eum falleret, uno Argentoratensi excepto. Nam e reliquis libris quamquam saepius modo hic modo ille cum Γ faciunt, tamen longe abest, ut re vera propinqua affinitas inter hunc et illos exstet. At longe alia res est in Argentoratensi. Cuius libri a. 1870 incendio absumpti memoria viris doctis quaestionem proposuit satis difficilem, adeo ut vel litem moveret. Etenim cum ex eo permultas lectiones Oberlinus adnotaverit, cuius collatione cum editione Bipontina instituta usus est Fickert (Arg b), pauciores Schweighaeuser adtulerit in editione Bipontina altera, quas Fickert siglo Sb insigniverit, haud mediocris inter utrumque testem observatur discrepantia; quae certe Hensio tanta visa est, ut nuper (praef. pag. XVI) iudicaret¹⁾ vix eundem librum ab Oberlino collatum esse atque Argentinensem b (olim C. VI. 7 notatum) a Schweighaeusero in usum vocatum Buechelero, qui Argentorati codicem C. VI. 7 etiamtum superstitem inspexerat, tamquam arbitro adacto. Quae cum ita sint, cautius agendum esse censeo Oberlini et Schweighaeuseri lectionibus separatim in examen vocatis.

Quodsi Arg b ab Oberlino collatum et Graeciensem librum inter se comparaveris, statim apparebit notabilis quidam ac paene mirus consensus; quod ut argumentis confirmem, lectiones quae in utroque libro consentientes inveniuntur, e libris I—III excerptas proponam:

3, 1 *hac* : *at* (Γ Arg b). — 4, 2 *sed infantum* : *sed et i.* (*infantium* Arg b). — 4, 9 *inquietas* : *inquietates*. — 5, 3 *ne sordeat* : *non s.* — 6, 5 *quia* : *om.* — 7, 3 *ante* : *antea*. — 7, 4 *postulaticiis* : *postulacijs*. — 7, 8 *et homines* : *ut h.* — 7, 11 *auctore* : *auctoritate*. — 8, 2 *ulceribus* : *visceribus*. — 8, 3 *clamo* : *clamositate*. — *ib.* *agere vitam volet* : *agere volens vitam*. — 11, 1 *exuerit* : *se exuerit*. — 11, 8 *vidente* : *spectante*. — 12, 9 *ex bona* : *ex alia*. — 13, 11 *est non* : *n. erit*. — 13, 13 *dicit* : *didicit*. — 14, 1 *multis* : *multum*. — 14, 12 *philosophari* : *philosophatur*. — 15, 11 *sequantur* : *te sequantur*. — 16, 2 *scio* : *nescio*. — *ib.* *utrum in* : *utrum an in*. — 16, 5 *est ex his* : *ex his*. — 16, 7 *circumspicies* : *circumspicis*. — 18, 4 *excerpere* : *excipere*. — 18, 14 *est scias* : *est ut*

¹⁾ Diversum iudicium tulit O. Rossbach in dissertatione bonae frugis plena „De Senecae philosophi librorum recensione et emendatione“ (Breslauer Philologische Abhandlungen, II, 3, pag. 31 sqq.).

scias. — 19, 6 *quis* : *quid*. — 19, 11 *oderint* : *aderunt*. — 20, 1 *mea* : *mira*. — 20, 3 *numquid* (*vestis*) : *ne umquam*. — 21, 3 *gloriam* : *vitam*. — 22, 9 *magnas spes* : *magna spe*. — 23, 4 *dolorum patientiam* : *de dolorum patientia*. — 23, 5 *perfusoriam* : *persuasoriam*. — 23, 6 *difficile* : *difficillimum* (-ilimum Γ). — 24, 2 *metire* : *metue*. — 24, 3 *quicquam ulli* : *illi quicquam*. — 24, 5 *in illis* : *in his* (*hys* Γ). — 24, 15 *obici* : *adici*. — 24, 16 *ut animum* : *animum*. — 24, 18 *humeris* : *humerum*. — 24, 22 *quo* : *qua*. — *ib.* *infulserim* : *infuserim* Arg b, *infuderim* Γ . — 24, 26 *quousque* : *quoadusque*. — 25, 1 *postest* : *posse*. — 25, 6 *licebit* : *licet*. — 27, 2 *ante te* : *ante*. — 28, 4 *vivendum* : *intuendum*. — 28, 6 *quiete vivere* : *bene vivere et quiete*. — 28, 7 *et tumultuosam* : *et om.* — 29, 2 *succedat multa* : *multa succedant*.

Praeterea haud pauci exstant loci, quibus, cum Sb Schweighaeuseri et Arg b Oberlini discrepent, Γ cum hoc non cum illo facit; ut 2, 4 *inquis* Γ Arg b *inquam* Sb; 3, 3 *quid est quare ego* : *quid est ergo quare* Γ Arg b cum quibusdam aliis, *quid est quare ergo* Sb cum melioribus; 4, 2 *utique* Γ Arg b : *itaque* GSb; 4, 7 *dextro* Γ Arg b : *decio* Sb; 5, 2 *frons populo nostra conveniat* Γ Arg b alii: *fr. p. conveniat nostra* Sb; 6, 3 *qui non amico* Γ Arg b : *non qui amico* Sb; 7, 5 *mutuos* Γ Arg b : *ut mutuos* Sb; 7, 12 *bona tua* Γ : *bona sua* Arg b, *bona* Sb cum dett. quibusdam; 9, 9 *necesse est* Γ Arg b; *necesse est ut* Sb; 10, 3 *quanti* Γ Arg b : *quam* Sb; 12, 8 *funebribus* Γ Arg b : *funeribus* Sb; 29, 4 *nondum* Γ Arg b : *dudum* Sb. — His locis adiungendum esse censeo 4, 2, ubi *philosophia* in Γ et, si fides habenda Oberlino tacenti, in Arg b quoque legitur, cum Γ^2 *philosophie* scribat, i. e. *philosophiae*, quod cum in aliis codicibus tum in Sb invenitur.

Cavendum tamen est, ne his exemplis adductus Graeciensem librum ad Arg b tamquam ad fontem redire putes. Etenim satis multi inveniuntur loci, quibus lectiones ab Oberlino ex Arg b enotatae et codicis Graeciensis inter se discrepant; e quorum numero eas e libris I—III enotabo, quibus Arg b solum a reliquis libris discedentem deprehendimus. 1, 3 *debere* (Γ et rell. libri) : *non debere* (Arg b solus); 2, 6 *quaeris* : *inquiris*. — 4, 4 *adegit* : *red-egit*. — 4, 5 *qui aqua* : *quae aqua*. — 6, 1 *mutandum sit* : *m. non sit*. — 6, 2 *coepissem* (*cepissem* Γ) : *te scissem*. — 8, 2 *conscribo* : *cum scribo*. — 10, 5 *athenodorum* : *ethenodorum*. — 11, 2 *erumpit* : *erumpere*. — 13, 1 *instrueres* : *instrueris*. — *ib.* *est* : *vis est*. — 13, 8 *coarguimus* : *quo arguimus*. — 14, 2 *exiget* : *exegerit*. — 16, 2 *tamen* : *tantum*. — 16, 9 *possit* : *possis*. — 17, 5 *itaque* : *que*. — 18, 9 *voluptate* : *voluntate*. — 19, 9 *leges* : *legeres*. — 21, 3 *facient* : *faciunt*. — 23, 7 *credideris* : *credis*. — 24, 1 *quod* : *quis*. — 24, 9 *contrario* : *e contrario*. — 25, 3 *aliis* : *om.* — 26, 5 *et minus* : *et minus* Γ (ut alii codd.) : *eminus*. — Inter quae etiamsi nonnulla sint, quae olim in libro quodam vetustiore Graeciensis archetypo eodem modo atque in Arg b scripta fuisse, postea vero ingenii ope emendata esse haud inepte opineris, tamen quae his demptis restant, tam multa tamque gravia sunt, ut nisi ad normam codicis cuiusdam corrigi non potuerint.

Cui opinioni aliquantum favere videtur, quod alibi quoque in Γ certa vestigia adparent artis criticae quam vocant exercitatae, cum modo cum hoc modo cum illo e deteriorum librorum numero faciat. Quod ut demonstretur, exempla huc pertinentia e libris I—III excerptas proponam; velim autem memoria teneas his omnibus locis codicem Arg b bonas lectiones servare. Ac saepissime quidem Γ consentit cum G(uelferbyitano Gud. 10): 4, 9 *eiusmodi* : *huius* Γ , *huiusmodi* RA $\mathfrak{U}$ R. — 7, 4 *paribus* : *patri-bus* Γ , *partibus* GR $\mathfrak{R}$ (codices Romanos a Fickerto adhibitos non curo). — 11, 1 *iam etiam* : *etiam iam* Γ G $\mathfrak{U}$. — 11, 2 *etiam* : *om.* Γ G, *enim* $\mathfrak{U}$. — 12, 1

putria: putrida ΓGRX. — 12, 3 *istunc: istic* ΓGRrE. — 13, 8 *dispice: despice* ΓATE: *respice* G. — 13, 13 *referendos: referentibus* ΓGRT. — 14, 3 *ne: nisi* ΓGRr. — 14, 10 *calcare: calcari* ΓGrT. — 14, 14 *perdenda: perpendenda* Γ (ut Romani codd. quidam): *pendenda* GTEB. — 15, 1 *anti-quis: antiquus* Γ (Rom. nonn.): *antiquitus* GE. — 15, 9 *credulitate: crudeli-tate* ΓG (-tem) RrB. — 16, 6 *delabi: dilabi* ΓG. — 21, 1 *sequeris: sequaris* ΓGRXw. — 21, 5 *supra: super* ΓGX. — 22, 4 *quod: quia* ΓGrAB. — 22, 7 *nisi: ubi* ΓGRX. — 23, 4 *hilariculo: hilari oculo* ΓGRw. — 27, 2 *sint: sunt* ΓGXw. — 27, 8 *istuc: istud* ΓGRr. — 28, 4 *addicere: adicere* ΓGRX. — 29, 1 *nulla: non ulla* ΓG; *nonnulla* RrATB. — 29, 12 *et pantom.: et om.* ΓGRrXT.

Cum R(ehdigerano I) Γ consentit praeter XIII locos iam enume-ratos: 9, 16 *retentus: detentus* ΓR. — 9, 20 *agendum est* ΓRVT. — 13, 1 *adparuerunt... arcesserunt: apparuerint... arcesserint* ΓRrX. — 13, 4 *sint: sunt* ΓRrX. — 15, 5 *impediet: impedit* ΓR. — 22, 5 *legi: lege* ΓRrX. — 29, 9 *animum: animum tuum* ΓR (Romani nonn.).

Cum r (Rehdigerano II) praeter VIII locos iam adlatos: 13, 10 *dolebis: dolebit* ΓrV. — 15, 9 *prodixeris: prodixerit* Γr. — 18, 12 *aliquos: alios* Γr. — 24, 16 *abduc: adduc* Γ (Rom. nonn.): *adhuc* rX. — 27, 1 *emen-dationi: emendatione* ΓrAE. — 27, 2 *mortis diem: diem mortis* ΓrXw. — 29, 8 *gaudebo: gaudeo* ΓrV. — ib. *cum: quam* ΓrAV.

Cum X (editione anonyma Mentelio olim adscripta) praeter locos xv iam commemoratos: 8, 3 *nostrum: vestrum* ΓAb. — 20, 2 *nec: ne* Γ; *ne et* X. — 24, 15 *adfectus: effectus* ΓX.

Cum A(mploniano) praeter locos III iam adlatos: 18, 4 *numeratio: muneratio* ΓAVT (remuneratio X). — 19, 8 *modestia: molestia* ΓA.

Cum V(indobonensi I) praeter locos III iam adlatos: 20, 9 *incubantem: cubantem* ΓVw. — 24, 19 *nos in mortem: in mortem nos* Γ: *nos* (om. cett.) V.

Cum T(rossii codice) praeter locos VIII iam memoratos: 4, 4 *efficit: effecit* ΓT. — 9, 12 *amicitia propter... est: amicitiae* (cett. om.) ΓTB.

Cum E(rlangensi Fickerti) praeter locos v iam adlatos: 2, 4 *diverti: deverti* ΓE. — 6, 3 *animos: amicos* Γ; in E paulo post inter ipsos et omnia vox *amicos* inserta legitur. — 24, 16 *crudidatem: crudelitatem* ΓE.

Denique cum W(irceburgensi) et M(etensi) a Roszbachio pag. 63 descriptis Graeciensem librum aliquotiens consentire videri memoratu non indignum censeo; certe 32, 5 cum MW *superegressus* et 37, 1 *auctoramentis* (ut L Hensii quoque), cum M 88, 39 *Aristarchi notas* (ut V Hensii) et 85, 22 *quemadmodum summum bonum* exhibet, 67, 13 *autem* omittit. Cum W solo 65, 14 et 16 facit, ubi in utroque *de causa generali sumus et ne hoc quidem* legitur.

Iam talem et tam miram inconstantiam quis est qui credat unius viri studiotribuendam esse? qui certe codicibus diversis undique congestis atque inter se collatis istam textus quam vocant recensionem summo sudore ut centonem e varii coloris pannis consutum perfecisse credendus esset. Immo, si quid video, seges ista vel potius dumetum istud variarum lectionum paullatim ac lente succrevit, litterarum commercio inter monasteria per aliquot saecula continuato. Parum igitur verisimile est olim exstitisse librum codicis Arg b simillimum ac paene gemellum atque ex eo, variis lectioni-bus ex aliis libris paulatim insertis, librum Graeciensem ortum esse; prae-sertim cum non solum ceteri libri deteriores — id quod e lectionibus a me modo adscriptis satis patet — eandem inconstantiam prae se ferant, sed etiam ipse Arg b, quod paucis exemplis adlatis demonstrare liceat: 11, 1 *respondebit: res pendebit* Arg b ATE. — 11, 10 *ipsi: ipsos* Arg b T. —

scias. — 19, 6 qui
20, 3 numquid (ves
spes : magna spe
perfusoriam : pers
metire : metue.
(hys Γ). — 24, 15
humerum. — 24, 5
24, 26 quousque :
27, 2 ante te : an
vivere et quiete.
succedant.

Praeterea
et Arg b Oberli
Γ Arg b inquam
quibusdam aliis
itaque GSb; 4
Γ Arg b alii : fr
amico Sb; 7, 1
Arg b, bona S
ut Sb; 10, 3
Sb; 29, 4 non
4, 2, ubi philo
quoque legitu
aliis codicib
Cavend

ad Arg b tam
loci, quibus
inter se disc
Arg b solum
rell. libri) : n
egit. — 4, 5
coepissem (ce
dorum : ethe
ib. est : vis
16, 2 tamen
uoluptate : v
23, 7 credia
25, 3 aliis
Inter quae
Graeciensi
ingenii op
restant, ta
corrigi no

Cui
vestigia
hoc mod
stretur,
autem n
servare.
4, 9 eius
bus Γ, p
11, 1 ia

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

M

Y

C

K

G

W

B

G

R

19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1
A B C D E F G H I J K L M N O P Q R S T U V W X Y Z

— 20, 1 mea : mira. —
itam. — 22, 9 magnas
um patiencia. — 23, 5
m (-ilium Γ). — 24, 2
— 24, 5 in illis : in his
um. — 24, 18 humeris :
n Arg b, infuderim Γ. —
— 25, 6 licebit : licet. —
28, 6 quiete vivere : bene
2 succedat multa : multa

m Sb Schweighaeuseri
illo facit; ut 2, 4 inquis
ergo quare Γ Arg b cum
ous; 4, 2 utique Γ Arg b :
ons populo nostra conveniat
n amico Γ Arg b : non qui
12 bona tua Γ : bona sua
e est Γ Arg b; necesse est
ebribus Γ Arg b : funeribus
adiungendum esse censeo
berlino tacenti, in Arg b
philosophiae, quod cum in

uctus Graeciensem librum
im satis multi inveniuntur
atae et codicis Graeciensis
ris I—III enotabo, quibus
mendimus. 1, 3 debere (Γ et
inquiris. — 4, 4 adegit : red-
lum sit : m. non sit. — 6, 2
: cum scribo. — 10, 5 atheno-
13, 1 instrueres : instrueris. —
s. — 14, 2 exiget : exegerit. —
17, 5 itaque : que. — 18, 9
— 21, 3 facient : faciunt. —
24, 9 contrario : e contrario. —
Γ (ut alii codd.) : eminus. —
in libro quodam vetustiore
gb scripta fuisse, postea vero
eris, tamen quae his demptis
ad normam codicis cuiusdam

quod alibi quoque in Γ certa
exercitatae, cum modo cum
numero faciat. Quod ut demon-
III excerptas proponam; velim
codicem Arg b bonas lectiones
um G(uelferbyitano Gud. 10):
RAUR. — 7, 4 paribus : patri-
ickerto adhibitos non curo). —
tiam : om. Γ G, enim R. — 12, 1

12, 1 *dilabentis* : *delabentis* Arg b g. — 13, 14 *tam lenibus remediis* : *t. l. de rem.* Arg b; *de t. l. rem.* A. — 14, 7 *in eo* : *interdum* Arg b; *timeantur in eo* R R. — 14, 10 *ex praecepto* : *ex praeceptione* Arg b G E Herbipol. — 17, 2 *satis* om. Arg b ξ. — 18, 5 *temptare* : *temperare* Arg b Col. — 18, 7 *dipondio* : *dispendio* Arg b (Romani nonn.); *dispondio* B w R. — 24, 19 *turpe est* : om. est Arg b w¹. — 26, 8 *commodabit* (*commodavit* Γ) : *commendavit* Arg b A; *commendabit* A.

Vix autem puto post ea quae exposui mirum videbitur codicem Graeciensem nonnullis locis non cum Arg b, sed cum Sb consentire; velut 7, 5 *excipiant* Γ Sb Schweighaeuseri : *excipiat* Arg b Oberlini; 8, 4 *fruere* Arg b : *fuere* Γ Sb; 9, 13 *erecto* : *recto* Γ Sb; 13, 13 *auctor est* : *auctor est uanus est* Γ Sb; 22, 6 *poterit* : *potuerit* Γ Sb.

Satis iam, opinor, de libro Graeciensi disserui. Itaque ut totius disputationis summam paucis comprehendam, mihi quidem persuasum est librum Γ in verbis scriptoris constituendis nullius omnino pretii esse; at rursus eum quaedam haud spernenda conferre ad historiam eruditionis per medii aevi tempora propagatae rectius cognoscendam atque illustrandam; inprimis autem memorabilem esse propterea, quod solus ex omnibus qui adhuc innotuerunt epistularum Annaeanarum libris manuscriptis cum codice Argentoratensi b ab Oberlino collato nunc deperdito aut latente arctiore quodam cognationis vinculo coniunctus est. Haec si viris doctis probavero, omne punctum tulisse mihi videbor.